

CAERNARVON-SHIRE.



Vpra Merionithiam jacet, quæ Britannis *Sir Caer-ar-von*, Anglisque *Caernarvon-shire*, ab oppido præcipuo, & priusquam Wallia in Comitatus describeretur *Snowden Forrest*, historicis Latinis *Snaudonia*, ab illo saltu, & *Arponia*, quod Mo-

nam è regione oppositam habet. Latus Septentrionale & Occiduum mari objacet, Australe claudit Merionithia, & Orientale Denbighiensis ager *Conovio* flu. interlabente. Qua mare prospicit, potissimum qua promontorio longius in Occasum Hibernum evehitur, incurva littora contra OCTOPITARVM sive *S. Davids Land* obtendit, gleba est satis fertili, & oppidulis redimita.

Interiora autem Natura longe lateque montibus, quasi hic compages hujus Insulæ visceribus terræ densaret, confertim extulit, receptaculumque Britannis tutissimum ingruente bello fecit, tot enim aspreta, rupesque, tot convalles saltuosæ, stagnisque impeditæ interjectæ sunt, ut non modo exercitus, sed ne expediti quidem calles inveniant. Alpes, si placet, Britannicas merito hos montes appelles, nam præterquam quod totius Insulæ maximi sunt, etiam incisis undique rupibus, non minus quam Alpes, præcipites, omnesque unum ambiunt, qui in medio vaste supereminens, ita caput effert, ut non cælo minari, sed inferere juga videatur; quæ ramen nivibus sunt fida, toto enim anno, nive, seu potius nivium senio canescunt. Vnde uno nomine omnes Britannis *Craig Eriry*, Anglis *Snowdon*, id est, utraque lingua *Niviferi montes* vocantur: uti etiam *Niphates* Armeniæ, & *Imaus* Scythiæ à nive nomen (testante Plinio) assumerunt. Nihilominus adeo sunt pabulosi, ut tritissimum sit inter Wallos, *Eriry* montes omnibus Walliæ armentis in unum coactis sufficere posse. De duobus in horum verticibus lacubus, quorum altero enatat Insula erratica, altero plurimi pisces, sed monoculi omnes reperiuntur, nihil dicam, ne fabulis indulgere videar, etsi Giraldi autoritate hoc nonnulli crediderint. Lacus vero & stagnantes aquas esse in summitate horum montium certum est, unde Gervasius Tilburienfis in Otiis Imperialibus, *In terra Vallensium intra terminos Britanniæ majoris montes excelsi fundamenta sua in saxis durissimis statuerunt, & in cacumine tanta aquositate terra crustatur, quod ubi vix pedem fixeris terram ad jactum lapidis moveri senties, unde supervenientibus hostibus Vallenses terram illam glutinosam sua transilientes agilitate impetus hostiles aut elidunt, aut damno hostium constanter expectant.* Horum incolas *Nivicollinos* novo verbo vocavit Ioannes Sarisburiensis in Polycratice, de quibus Henrici Secundi tempore sic scripsit, *Nivicollini Britones irruunt, & jam protendunt terminos suos egressi de cavernis, latebrisque sylvarum plana occupant procerum nobilium; videntibus ipsis, impugnant & expugnant, & diruunt, aut sibi retinent, eo quod juvenis Britannia*

nostra, quæ tecto & umbra gaudet, nata fruges consumere in lucem dormit, &c.

Sed à montibus in campestria descendamus, quæ cum sola sint secundum mare, satis sit si tantum littus legamus. Promontorium quod in Occasum brumalem projectum diximus, Ptolemæo pro exemplarium varietate, CANGANVM, IANGANVM, LANGANVM dicitur, quod verissimum, nescio, sed LANGANVM videatur, cum hodie incolis *Lhein* vocetur, quod angusto & æquali Chersonesso procurrit, magis quam cætera regio patentibus campis, & hordeo feracissimis. Duo tantum memoranda præterdit oppidula, interius ad sinum *Pullbely*, id est, *Palus salsa*, exterius ad mare Hibernicum (quod alteram Chersonessi partem diverberat) *Nevin* villam mercatoriam, in qua anno Christi MCC LXXXIIII Angli proceres de Wallis triumphantes militari decursione & festiva pompa (ut author est Florilegus) memoriam Arthuri magni celebrarunt. Si qua alia floruerunt hic oppida, tunc deleta fuerunt cum Hugo Comes Cestriæ, Robertus de *Rudland*, & Guarius è *Salopia* primi Normannorum huc penetrantes, hoc promontorium ita popularentur, ut torum septennium desolatum jacuerit.

A *Nevin* littus semel, iterumque prominentiis distinctum in Septentriones se agit. Deinde obversa in Circium fronte, coarctato in angustias fieto (*Menai* vocant) Monam Insulam à Continente discindit. Huic fieto SEGONTIUM urbs, cujus meminit Antoninus, superimposita erat, cujus murorum reliquias nonnullas vidimus juxta * Ecclesiolam in S. Publicii honorem constructam. Nomen à præterfluente fluvio sumpsit, qui etiamnum *Sejont* appellatur, & è *Lin-Peris* lacu profluit, in quo piscis est peculiaris non alibi visus, quem à rufescente ventre *Tor-coch* accolæ vocitant. Cum autem SETANTIUM PORTVM hoc in situ collocarit vetustus Ptolemæi codex, quem alia exemplaria longius remouent, si ego SEGONTIUM PORTVM legerim, & ad hujus ostium fuisse dixerim, veritatem fortasse limarem, sin minus, conjecturæ veniam ab æquo lectore impetarem. Hanc urbem Ninnius *Caer Custenith*, & qui scripsit vitam Gruffini filii Conani, prodit Hugonem Cestriæ Comitem castrum construxisse in *Hean Caer Custenni*, id est, ut vertit Latinus interpres, in antiqua urbe *Constantini Imperatoris*. Authorque est Matthæus Westmonasteriensis (sed ipse fidem suam liberet) corpus Constantii, patris Constantini Maximi, hic inventum fuisse anno MCLXXXIII, & in Ecclesia novæ urbis honorifice locatum jussu Edwardi Primi, qui ex hujus ruinis eo tempore *Caernarvon* urbem paulo superius ita ad fluminis ostium eduxit, ut ab Occidente & Septentrione aquis alluatur. Quæ ut ipsa nomen sumpsit, quod è regione *Monæ* Insulæ objicitur, hoc enim vocabulum denotat: ita universo agro suum nomen communicavit, hinc

R r r r

etenim

Conway fl.

Snowdon mts.

Alpes Britannicæ.

Nivicollini.

Canganum.

Lhein.

Pullbely.

Nevin.

Vita Gruffini.

Menai. Segontium.

* Lhan Beblin.

Tor-coch pisces.

Caernarvon.